

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVII - N. 2

2005

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2005

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS BENEDICTI PP XVI

Litterae Apostolicae <i>Motu proprio</i> datae de Basilicis Sancti Francisci et Sanctae Mariae Angelorum quibus novae normae decernuntur	149
--	-----

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	151
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIO	153
ALLOCUTIO Em.mi Praesidis apud Universitatem Catholicam Murcensem Sancti Antonii occasione Congressus Eucharistici Internationalis Universitarii habita: <i>La Eucaristía en el ordenamiento jurídico de la Iglesia</i>	154

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Adnotatio de Ministro Sacramenti Unctionis Infirmorum	175
CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA	
Instructio circa criteria discernendi quoad vocationem personas quae tendentias homo-sexuales praesentant in ordinem ad eas admittendas ad seminarium et ad ordines sacros	180

EX ACTIS PONTIFICIA COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Bonis Ecclesiae Temporalibus» (Sessio VI)	186
Coetus studiorum «De Bonis Ecclesiae Temporalibus» (Sessio VII)	203
Coetus studiorum «De Bonis Ecclesiae Temporalibus» (Sessio VIII)	223
Coetus studiorum «De Bonis Ecclesiae Temporalibus» (Sessio IX)	256
Schema Canonum «De Iure Patrimoniali Ecclesiae»	284
NOTITIAE	304
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	305
INDEX RERUM GENERALIS	307

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDII « DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS »¹

Sessio VI^a
(diebus 20-25 ianuarii 1969 habita)

Diebus 20-25 ianuarii 1967, in aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas Codicis I.C. « De bonis Ecclesiae temporalibus ».


Conventui intererant Ill.mi ac Rev.mi Hercules Crovella, Vincentius Fagiolo, Joannes Pasztor, Laurentius McReavy, Thomas Garcia Barberena, Fridericus McManus; Rev.mi Patres Ulricus Beste, Daniel Faltin, Alfonsus Stickler; Cl.mi Eugenius Isele et Marius Petroncelli.

Praeerat Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis; Relatoris munere fungebatur Rev.mus Crovella; actuarii munere fungebatur Rev.dus Voto, a studiis Commissionis.

Quaestiones a Secretaria propositae erant sequentes:

- a) de recognitione cann. 1535-1543;
- b) de ordine systematico omnium canonum (cann.1535-1543 non exclusis) recognitorum;
- c) num lacunae adsint quas Consultores explendas censeant;
- d) de patrimoniis communibus ad variis necessitatibus providendum: num et quomodo constituenda et administranda sint.

¹ Ad vitandam confusionem necnon claritatis causa benevoli lectores nostrae ephemeridis *Communicationes* animadvertendi sunt hunc Coetum in processibus verbalibus usque ad quintam Sessionem laborum recognitionis exaratis appellatum esse Coetum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus »; in processibus verbalibus, vero, a sexta Sessione laborum redactis eius nomen mutatum esse in Coetum « De Iure Patrimoniali Ecclesiae ».



Sequentes Consultores votum de propositis quaestionibus paraverunt: Exc.mus Wojcik, Ill.mi ac Rev.mi Crovella, Fagiolo, Pasztor, McReavy, McManus; Rev.mi PP. Beste et Stickler.

De his votis Rev.mus Relator relationem scripto apparavit ad referendam sententiam quam quisque Consultor in suo voto expresserat.

Adunatio I^a
die 20 ianuarii 1969 mane habita

Rev.mus Secretarius omnibus Consultoribus salutem dicit et singulariter Cl.mo Petroncelli, qui nuper huic Coetui adscriptus fuit.

Deinde Secretarius quaerit num Consultores Relationem laborum 1^{ae} Sessionis probent quod attinet sive ad integritatem sive ad veritatem eorum quae ibi referuntur.

Consultores Relationem probant. Tantum Rev.mus secundus Consultor animadvertit suam mentem fuisse ut propositio de recensenda *iustitia sociali* in can. 1530 ter ut conditio ad alienationes faciendas, referatur non tantum in textu Relationis (cf. Relationem V^{ae} Sessionis, pag. 130), sed etiam in textu canonis in pag. 137.²

Deinde examinatur prima quaestio Consultoribus proposita, de recognitione scilicet cann. 1535-1543.

Can. 1535.

Discussio initium sumit a propositione Rev.mi tertii Consultoris ut nempe can. 1535 verbis magis positivis praecipiat supremam caritatis obligationem, a quibuscumque personis in Ecclesia, sive physicis sive moralibus, adimplendam. Ad rem Rev.mus tertius Consultor hanc formulam proponit:

«Meminerint administratores bonorum ecclesiasticorum legem supremam caritatis qua tenetur unusquisque christianus, non secus ab unaquaque persona morali in Ecclesia religiose esse servandam. Iusta igitur interveniente causa, ne dubitent de bonis mobilibus, quorum curam habent, libenter erga egenos disponere, semper tamen intra limites ordinariae administrationis ad normam can. 1527 determinandos».

² Cf. *Communicationes*, 37/1 (2005).

Quoad locum huius canonis, Rev.mus tertius Consultor proponit ut ponatur post canonem 1524, ubi agitur de obligatione iustitiae socialis servandae. Erogatio enim caritativa bonorum mobilium superfluum, iustam ob causam intra limites statutos facta, non est actus alienationis, sensu proprio intellectae, sed bonae administrationis.

Rev.mus Secretarius notat can. 1535 CIC redolere aliquomodo sollicitudinem quam legislatores habuerunt ut pars de contractibus magis augetur. Materia enim huius canonis non est stricte de contractibus. Merito ergo ponitur quaestio de aptiore loco huius canonis, una cum quaestione ipsius recognitionis.

Quoad sensum canonis, iuxta Rev.mum tertium Consultorem penitus mutandum, Consultores sequentes animadversiones faciunt:

– Can. 1535 CIC directe curat de tuendis bonis ecclesiasticis, non de caritate facienda, non quod Ecclesia spiritum avaritiae commendet, sed quia cavere vult ne administratores imprudenter agant in detrimentum personarum moralium. Sensus canonis ergo, quoad substantiam, maneat prout est (Rev.mi quartus, quintus, sextus et septimus Consultores).

– In can. 1535 agitur de parvis et modicis donationibus quas praelati et rectores largiri possunt ex bonis mobilibus suarum ecclesiarum. Quaestio ergo remitti posset ad Tit. de Ecclesiis post can. 1182 (Rev.mus Relator).

– Obligatio caritatis firmanda est, quin cautiones in hoc canone revocentur. Agitur enim de adjuvandis pauperibus et non videtur quomodo in hac materia abusus haberi possint (Rev.mus octavus Consultor).

– Can. 1535 sane omitti potest. Cum de caritate ex bonis personarum moralium agatur, periculum adest ne administratores criteriis nimis subiectivis se gerant. Ceterum personae morales ecclesiasticae disponere possunt de suis bonis ad persequendos fines in can. 1497 statutos. Iamvero inter illos fines sunt etiam «opera caritatis exercenda», ideoque non videtur necessarius distinctus canon qui edicat de obligatione faciendi caritatem (Rev.mus nonus Consultor).

– Can. 1535 retineatur, ne personis moralibus ecclesiasticis avaritia exprobetur. Formula redigatur qua insimul et caritas foveatur et ab abusu praecaveatur (Rev.mus secundus Consultor).

– Non placet in iure communi canonem ponere qui edicat de caritate facienda, eo vel magis quia non constat de natura obligationis qua, secundum sententiam Rev.mi tertii Consultoris, personae morales tenentur ad caritatem faciendam, utrum scilicet sit ex iustitia commutativa an distributiva. Melius est talem normam de caritate facienda ad ius particulare remittere (Rev.mus decimus Consultor).

– In can. 1535 duo habentur: prohibitio ne excedantur limites ordinariae administrationis et potestas disponendi de bonis ecclesiasticis ratione caritatis. Prima norma omitti potest, cum satis alibi cautum sit ne limites ordinariae administrationis excedantur; altera norma vero retineri potest. Notandum tamen est difficilem evadere redactionem normae quae indicet iustam mensuram caritatis, ideoque melius esset tantum principium caritatis faciendae, sine aliis determinationibus (Rev.mus primus Consultor).

Omnes Consultores in hoc tamen unanimiter concordant, ut in novo canone omittantur verba «secus donatio a successoribus revocari poterit».

Ad locum quod attinet, omnes Consultores censent canonem transferendum esse ad Tit. de bonis administrandis.

Suffragatur placeatne in alium locum substantiam huius canonis transferre:

placet 9; non placet 1.

Suffragatur placeatne huic canoni dare locum can. 1524 bis:

placet 3; non placet 6; se abstinere a sententia ferenda 1.

Suffragatur placeatne huic canoni dare locum can. 1523 bis:

placet 8; non placet 1; se abstinere a sententia ferenda 1.

Adunatio II^a die 20 ianuarii 1969 vespere habita

Consultores seligunt elementa essentialia quae poni debent in novo canone 1523 bis.

Post aliquam discussionem concordia habetur circa hanc propositionem, quod nempe administratores bonorum ecclesiasticorum possint donationes facere ex bonis mobilibus quae non pertinent ad patrimonium stabile, iusta interveniente causa pietatis et caritatis.

Ad sensum huius propositionis, Rev.mi tertius, nonus, decimus et III.mus primus Consultores hanc formulam redigunt:

«Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, licet administratoribus bonorum ecclesiasticorum de bonis mobilibus quae ad patrimonium

stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christianae caritatis facere».

Formula omnibus placet. Tantum fit quaestio de verbo «*licet*» quod Rev.mus tertius Consultor substituere vellet pro verbis «ne dubitent».

Sed Rev.mus sextus Consultor notat quod verba «ne dubitent» continent exhortationem et veluti incitamentum ad actus qui in can. 1535 CIC fere verabantur: «ne praesument».

Tunc Rev.mus decimus Consultor proponit verba «fas est».

Propositio Rev.mi decimi Consultoris omnibus placet.

Can. 1536

Omnes Consultores proponunt suppressionem § 4 huius canonis et aliqui Consultores proponunt etiam suppressionem § 3.

Fit aliqua discussio circa suppressionem § 3.

Rev.mus tertius Consultor censeat § 3 omitti posse quia patet ex natura rei quod, in casu, datur ratio restitutionis in integrum vel indemnitas.

Rev.mus nonus Consultor vult suppressionem quia non potest sermo fieri de damno Ecclesiae circa bona quae nondum ad ipsam pertinent.

Suffragatur placeatne suppressere § 4:

omnibus placet.

Suffragatur placeatne suppressere § 3:

placet 6; non placet 5.

Deinde habetur discussio circa § 1 can. 1536.

Rev.mus Secretarius animadvertit praesumptionem statutam in § 1 esse magni momenti. Leo XIII et deinde codificatores voluerunt disciplinam praecedentem mutare, quia antea praesumptio favebat religiosis. Nova disciplina inducta a CIC retinenda videtur.

Immo Rev.mi nonus, octavus et sextus Consultores proponunt ut talis praesumptio statuatur non tantum de bonis quae donantur rectoribus ecclesiarum sed etiam de bonis quae donantur omnibus administratoribus ecclesiasticis, ita ut, nisi contrarium probetur, praesumendum sit illa bona respectivis personis moralibus ecclesiasticis esse donata.

Adunatio III^a
die 21 ianuarii 1969 mane habita

Consultores prosequuntur discussionem circa § 1 can. 1536.

Rev.mus Secretarius quaerit quid censeant Consultores de illa propositione, ut nempe praesumptio statuatur de bonis quae donantur omnibus administratoribus, ita ut praesumatur illa bona personis moralibus esse donata, nisi contrarium probetur.

Fere omnes Consultores talem propositionem probant, imo aliqui (Rev.mi quintus, tertius, octavus, secundus et decimus Consultores) ultra progrediuntur et proponunt ut norma teneat non tantum administratores, sed omnes operibus moralibus addictos.

Rev.mus septimus Consultor vero notat quod in Codice deest norma generalis quae se referat ad omnes oblationes fidelium. Proponit ut resumatur norma iam a Card. Gasparri proposita quae dicit «Spontaneae fidelium oblationes applicandae sunt iuxta eorum explicitam aut, ea deficiente, praesumptam voluntatem». Hoc modo, dicit Rev.mus septimus Consultor, magna ratio haberetur, ut aequum est, voluntatis oblatores.

Secretarius notat quod omnes Consultores (excepto Rev.mo septimo Consultore) volunt praesumptionem iuris pro personis moralibus ecclesiasticis: determinanda adhuc sunt subiecta contra quae stat praesumptio. Ideo proponit ut loco «rectoribus ecclesiarum» dicatur «... rectoribus, parochis, administratoribus, cooperatoribus personae moralis in Ecclesia...».

Rev.mus quartus Consultor proponit: «... parochis, rectoribus, administratoribus aut eorundem vicem gerentibus...».

Sed Rev.mus tertius Consultor censet melius esse aliquam formulam generalem adhibere, ex. gr.: «... administratoribus cuiusvis personae moralis ecclesiasticae vel eorundem cooperatoribus vices gerentibus...».

Propositio Rev.mi tertii Consultoris omnibus placet et Rev.mus decimus Consultor hanc formulam § 1 redigit:

«Spontaneae fidelium donationes administratoribus cuiusvis personae moralis ecclesiasticae eorumque vices gerentibus factae, deficiente donantium explicita voluntate, praesumuntur ipsi personae morali donatae, nisi contrarium probetur».

Circa hanc formulam sequentes suggestiones habentur:

— omittatur verbum «spontaneae» (Rev.mi quartus, tertius, octavus et sextus Consultores): placet omnibus.

– omittantur verba «deficiente explicita donantium voluntate» (Rev.mi quartus, quintus, tertius et sextus Consultores): placet 8; non placet 3.

– dicatur «... nisi aliam esse donantis voluntatem legitime probetur» loco «nisi contrarium probetur» (Rev.mi tertius et sextus Consultores): placet 2; non placet 8.

– verba «nisi contrarium probetur» initio ponantur (Rev.mus nonus Consultor).

Placet omnibus.

– dicatur «... *superioribus vel* administratoribus... factae...» (Rev.mus nonus Consultor).

Omnibus placet.

– Dicatur «oblationes» loco «donationes» (Rev.mus secundus Consultor).
Omnibus placet.

– Dicatur «eorumve *adiutoribus* factae...» loco «eorumve vices gerentibus factae» (Rev.mi Relator et sextus Consultor).

Placet 8; non placet 3.

Formula ergo erit:

«Nisi contrarium probetur fidelium oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae moralis ecclesiasticae eorumve adiutoribus factae, praesumuntur ipsi personae morali factae».

Can. 1536 § 2

Omnes Consultores malunt § 2 quoad substantiam servare prout in CIC. Textus tamen accommodandus erit ad textum § 1 iam recognitum.

Tantum Rev.mus nonus Consultor, cui consentit Rev.mus quintus Consultor, vellet hanc § 2 mutare, statuendo omnes oblationes vi ipsius legis acceptari, nisi Ordinarius illas repudiet. Hoc modo vitarentur etiam casus illegitimae repudiationis de quibus in suppressa § 3.

Rev.mus tertius Consultor animadvertit (contra Rev.mum nonum Consultorem) personam moralem minoribus aequiparari, proinde acceptationem faciendam esse ab illo qui personam ipsius gerit.

Rev.mus Secretarius dicit praeterea quod si propositio Rev.mi noni Consultoris acceptaretur casus illegitimae repudiationis oblationum haberi possent ex parte Ordinarii.

Rev.mus quartus Consultor proponit formulam § 2:

« Oblationes de quibus in § 1 repudiari nequeunt sine licentia Ordinarii ».

Suffragatur placeatne haec formula:

placet 9; placet iuxta modum 2.

Modi:

1) dicatur « sine consensu » loco « sine licentia » (Rev.mus decimus Consultor):

placet 2; non placet 9.

2) dicatur « competentis Superioris » loco « Ordinarii » (Rev.mus sextus Consultor):

placet 2; non placet 9.

Adunatio IV^a

die 21 ianuarii 1969 vespere habita

Can. 1537

Rev.mi tertius et secundus Consultores proponunt suppressionem huius canonis, quia contra abusum, de quo hic agitur, iam satis et in aptiore loco providetur per can. 1150, quo vetatur ne res sacrae « ad usum profanum vel non proprium adhibeantur ».

Alii Consultores, excepto Rev.mo sexto Consultore, concordant circa suppressionem huius canonis.

Rev.mus sextus Consultor vero animadvertit can. 1537 vetare usum profanum *commodatum* per contractum, can. autem 1150 vetare simplicem usum profanum. Melius esset ergo can. 1537 retinere quia vetat aliquid amplius ultra can. 1150.

Primus Consultor assentiret Rev.mo sexto Consultori si in can. 1537 haberetur sanctio nullitatis contra talem contractum de commodato ad usum profanum. Sine tali sanctione, can. 1537 idem dicit ac can. 1150 ac proinde supprimi potest.

Suffragatur placeatne suppressere can. 1537:

omnibus placet iuxta modum.

Modus: dummodo in novo Codice retineatur can. 1150.

Can. 1538

In hoc canone (§ 2) tribuitur Ordinario facultas praefiniendi annuas ratas ad extinguendum debitum. Sed Rev.mus Relator notat hoc pertinere ad partes, quae etiam concordare debent quotam percentualem foenoris. Ideo Rev.mus Relator hunc textum canonis proponit:

«§ 1. Ad oppignoranda vel hypothecae nomine obliganda bona ecclesiastica, atque ad aes alienum contrahendum requiritur consensus legitimi Superioris ad normam cann. 1530 bis et 1533 et iusta causa ad normam can. 1530 ter, § 1, n. 1.

§ 2. Superior vigilare tenetur ut a contrahentibus praefiniantur ratae annuae ad extinguendum debitum et quota percentualis foenoris statuto tempore solvendae, ad normam can. 1523, § 2, n. 4».

Plures Consultores tamen censent § 1 huius canonis esse superfluum quia oppignratio et obligatio hypothecaria non sunt nisi negotia de quibus in can. 1533, in quibus requiruntur sollemnitates ad normam cann. 1530-1531. Ceterum ipsa formula Rev.mi Relatoris non est nisi aliqua referentia ad illos canones.

Quoad § 2 item plures Consultores dicunt esse superfluum quia satis provisum per can. 1523, § 2, n. 4. Alia ratio, dicunt Rev.mi nonus et primus Consultores, accedit ut § 2 supprimatur. Norma illa redolet situationem oeconomicam temporum praeteritorum in quibus, ex summis mutuo acceptis, conditio personae moralis necessario peior fiebat. Exinde ergo cura praefiniendi tales annuas ratas ut quamprimum aes alienum solveretur. Hodiernis autem temporibus plura negotia per summas mutuo acceptas communiter peraguntur et, si debita cum prudentia id fiet, conditio personae moralis melior evadit.

Fit suffragatio placeatne suppressere can. 1538:
placet omnibus.

Can. 1539

Circa § 1 omnes Consultores censent supprimi posse quia in can. 727 iam provisum est contra periculum simoniae (videndum tamen est utrum can. 727 in iura remanere debeat necne).

Circa § 2 plures Consultores item censent supprimi posse vel quia norma amandanda esset ad ius particulare (Rev.mi quartus, quintus, octavus

et decimus Consultores), vel quia iam sufficienter in canonibus praecedentibus cautum est contra abusus in alienandis bonis (Rev.mi sextus et septimus Consultores).

Alii Consultores vero vellent § 2 retinere quia continet normam quae cohibet administratores ne spe lucri alliciantur in commercio vel negotiatione titulorum ad latorem vel nominativorum, quos vocant. Norma tamen transferri posset ad can. 1523, § 2, n. 5 bis; inseratur nempe inter munera bonorum administratorum ut ipsi titulos in alios titulos magis tutos et frugiferos commutent, exclusa tamen qualibet commercii vel negotiationis specie.

Suffragatur placeatne suppressere § 1:
omnibus placet.

Suffragatur placeatne suppressere § 2:
placet 6; placet iuxta modum 5.

Modus: provideatur in can. 1523, § 2, n. 5 bis per hanc formulam:

« Titulos ad latorem, quos vocant, commutare in alios titulos magis tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii dioecesi, Consilii administrationis aliorumque quorum interest ».

Adunatio V^a
die 22 ianuarii 1969 mane habita

Can. 1540

Consultores communiter malunt normam retinere quae vetet acceptiorem parentum in administratione bonorum ecclesiasticorum. Tamen aliqui (Rev.mi quartus et octavus Consultores) censerent iam de re sufficienter cautum esse per can. 1523, § 2, alii vero volunt peculiarem ac explicitam normam redigere, in can. 1523 vel alibi collocandam.

Circa tenorem huius normae Consultores in varias sententias disperuntur, ita ut Rev.mus Secretarius opportunum censeat suffragium Consultorum circa aliquas propositiones petere, de quibus ratio habenda erit ad normam redigendam; agitur, enim, in canone de *speciali* licentia obtinenda.

– Num specialis licentia requiratur ad *vendenda* bona ecclesiae propriis administratoribus eorumque coniunctis:

placet omnibus.

– Num eadem licentia requiratur ad illa bona *locanda*:

placet 6; non placet 5.

– Num talis licentia requiratur ad *validitatem*:

placet 4; non placet 7.

– Num illa licentia *in scriptis* requiratur:

placet 10; non placet 1.

– Num specialis licentia dari debeat *a competenti superiore*, ita ut norma teneat etiam pro vendendis bonis Ordinario eorumque coniuncto?

Placet 9; non placet 2.

– Num norma restringenda sit tantum circa bona *immobilia*:

placet 1; non placet 10.

– Num a vetito placeat excludere « res quae sint minimi momenti »:

placet 6; non placet 5.

Committitur deinde Rev.mis Relatori, tertio, decimo et Ill.mo primo Consultoribus ut redigant formulam canonis, quae in proxima adunatione examinari possit.

Can. 1541

Ad contractum locationis quod attinet duo habentur propositiones:

– Aliqui Consultores, Rev.mum tertium Consultorem sequentes, volunt normam committere Conferentiis Episcoporum. Ratio est: quia in praxi, ut contractus locationis ex utraque parte religiose adimpleantur, requiritur ut lege civili sustineantur, ideoque ut eidem conformes sint. Cum autem ius civile in hac materia diversum sit pro variis nationibus, vix practicum esset in iure communi Ecclesiae normas statuere quae pro omnibus regionibus aequae valeant. Melius esset ergo rem sane relinquere determinandam a Conferentia episcopali uniuscuiusque regionis (Rev.mi tertius, nonus, octavus et Ill.mus primus Consultores), vel, ad summum, in § 2 aliquas cautiones imponere quae valeant pro bonis ecclesiasticis locandis (Rev.mi quintus, sextus et septimus Consultores).

– Alii Consultores, Rev.mum secundum Consultorem sequentes, censent locationem esse unum ex contractibus quibus conditio Ecclesiae peior fieri potest ideoque sollemnitatibus alienationis subiacere debere. Ideoque oportet talem canonem in lege communi extare (Rev.mi secundus Consultor et Relator), vel, ad summum, § 2 adiungatur in qua facultas fit Conferentiis episcopalibus ut quaedam magis determinent secundum leges civiles locales (Rev.mus decimus Consultor).³

Quoniam maioritas Consultorum inclinat pro sententia Rev.mi tertii Consultoris, Rev.mus Secretarius proponit ut ultro procedatur et in § 1 edicatur in locatione bonorum ecclesiasticorum leges civiles servandas esse; in § 2 vero committatur Conferentiis Episcoporum ut, firma § 1, normas peculiare de locatione statuunt.

Propositio Rev.mus Secretarius omnibus placet, ideoque formula ita redigitur:

«§ 1. In locatione bonorum ecclesiasticorum servantur leges civiles» (Rev.mus Secretarius).

Formula omnibus placet.

«§ 2. Firmo praescripto § 1, Conferentiae Episcoporum est, attentis locorum adiunctis, normas statuere de bonis ecclesiasticis locandis, praesertim de licentia a competenti auctoritate ecclesiastica obtinenda» (Rev.mi decimus et sextus Consultores).

Placet 10; placet iuxta modum 1.

³ Rev.mus secundus Consultor sequentem formulam proponit:

«§ 1. Pro locatione bonorum ecclesiasticorum ultra triennium, incolumi can. 1479, semper requiritur consensus tum Ordinarii, audito Consilio administrationis, tum eorum quorum interest; si locatio non sit ultra triennium, servantur normae ab Ordinario statutae, firmo consensu praevisio eorum quorum interest.

§ 2. Si tamen locatio sit ultra triennium et valor locationis excedat summam a Conferentia episcopali pro sua cuiusque regione definiendam, consensus Ordinarii prius confirmari debet a Commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia constituta.

§ 3. Si denique locatio item sit ultra triennium sed valor (pretium) locationis duplo excedat summam a Conferentia episcopali ad normam § 2 definitam, Superior competens consensum etiam S. Sedis ad valide agendum obtinere debet.

§ 4. Nisi aliud circumstantiae suadeant, res locanda ei conceditur, qui omnibus perpensis plus obtulerit; et contractibus alicuius fundi semper addantur conditiones de limitibus custodiendis, de bona cultione, de rite solvendo canone, de opportuna cautela pro conditionibus adimplendis».

Modus: committatur Conferentiis Episcoporum ut tantum normam de licentia obtinenda statuunt.

Rev.mus decimus Consultor aliam § proponit in qua dicatur leges civiles de quibus in § 1 esse leges *rei sitae*.

Sed Rev.mus Secretarius meminit eandem quaestionem motam esse in Sessione praecedenti, occasione can. 1534 bis (canonizatio legum civilium de contractibus) et omnes Consultores unanimiter censuisse determinandam non esse legem civilem in concreto pro singulis negotiis servandam.

Suffragatur tamen iterum placeatne propositio Rev.mi decimi Consultoris: nemini placet.

Adunatio VI^a
die 22 ianuarii 1969 vespere habita

Rev.mi Relator, tertius, decimus et Ill.mus primus Consultores praebent aliis Consultoribus novam formulam can. 1540:

« Nisi res sit minimi momenti, bona ecclesiae propriis administratoribus eorumve coniunctis usque ad secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum non sunt vendenda aut locanda sine speciali competentis superioris licentia scripto data ».

Rev.mus nonus Consultor proponit ut dicatur « in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu » loco « usque ad secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum » (placet 9; non placet 2).

Circa locum huius canonis aliqui proponunt ut ponatur post can. 1523 (placet 4); alii vero immediate ante canonem de locatione (placet 6; unus Consultor se abstinere a sententia ferenda).

Can. 1542

Rev.mi tertius et secundus Consultores proponunt suppressionem huius canonis, quia emphyteusis non est nisi species quaedam locationis, de qua provisum est in canone praecedenti.

Propositio omnibus placet.

Can. 1543

Aliqui Consultores malunt hunc canonem retinere, saltem ob rationes doctrinales, ut clare appareat Ecclesiam non mutasse repugnantiam suam contra usuram, sensu primigenio intellectam (Rev.mi quartus, tertius, quintus, octavus et secundus Consultores).

Alii Consultores censent canonem supprimendum esse quia liceitatem et quantitatem lucri in mutuo oneroso determinare ad doctrinam moralem pertinet (Rev.mi Relator et septimus Consultor) et quia canon est doctrinalis et non videtur congruere cum actuali evolutione rerum oeconomicarum (Rev.mus nonus Consultor).

Rev.mus decimus Consultor censet primam partem canonis retinendam esse prout est, aliam autem partem aliqua emendatione indigere.

Suffragatur placeatne canonem retinere:

placet 4; non placet 4; placet iuxta modum 1.

Modus: dummodo transferatur ad alium locum, ex. gr. ad canones de administratione, aut veluti appendix in fine libri de iure patrimoniali Ecclesiae.

Quoniam maioritas Consultorum pro una vel alia sententia non habetur, Rev.mus Secretarius hanc notam scribere suadet:

« Circa canonem de contracto mutui de quo in can. 1543 Consultores crediderunt non esse hic locum aptum. Quod si superiori instantiae videatur canonem esse servandum, locus aptior inveniendus erit ».

**Adunationes VII^a-X^a
die 23-25 ianuarii 1969 habitae**

Recognitione cann. 1535-1543 peracta, tres adhuc quaestiones Consultoribus in conventibus VII-X examinauerunt, summarie tamen et per modum explorationis sententiarum.

a) Rev.mus Relator perlegit vota Consultorum circa secundam quaestionem Consultoribus propositam, de ordine nempe systematico omnium canonum recognitorum.

Quaestio tamen dilata est cum pendeat a caeteris quae de quaestionibus tertia et quarta deliberentur.

b) De quaestionibus tertia (de lacunis explendis) et quarta (de patrimoniis communibus) disceptantes, Consultores sequentia peculiari examini subiacere voluerunt:

- utrum systema beneficiale seponendum an reformandum sit;
- num patrimonia communia usui determinato destinata constituenda sint;
- utrum in hac tantum parte Codicis de iure patrimoniali generali Ecclesiae agendum sit an in aliis quoque partibus Codicis (ex. gr. de bonis religiosorum);
- num officia personalitate iuridica gaudeant quoad ius patrimoniale.

Ad quaestionem generalem de personalitate iuridica quoad bona temporalia perpendendam, Rev.mus Secretarius monet Consultores in Coetu competenti factam esse distinctionem inter personas iuridicas seu canonicas publicas et privatas. Ex tali distinctione quaestio oritur utrum bona personarum iuridicarum privatarum ut bona ecclesiastica designari debeat necne.

Circa has omnes quaestiones singuli Consultores modo provisorio suas sententias adumbraverunt. Consultores tamen censuerunt tales quaestiones ulteriore studio indigere, quapropter Secretariam Commissionis rogaverunt ut capita quaestionum indicaret de quibus ipsi votum redigere possent.

Secretaria Commissionis autem sub die 4 februarii 1969 litteras misit Consultoribus in quibus inter alia, haec habentur:

«Ad labores huius Sessionis apre parandos, scripto ac distincte trado Tibi indicem quaestionum quae in ultima Sessione dignae indicatae sunt ut ulteriore studio Consultorum committerentur, scilicet:

- 1) Num patrimonialia bona personae canonicae privatae inter bona ecclesiastica computari debeant;
- 2) Quaenam massae bonorum reputentur necessario efformari ac defini debere in iure patrimoniali Ecclesiae; de singulis dicatur constitutio, finis, subiectum domini;
- 3) Quaenam sint institutiones ecclesiasticae quae assignatione bonorum patrimonialium stabilium egent ut recte constitui possint;
- 4) Num quaedam officia ecclesiastica bona temporalia, tamquam dotem, in posterum retinere valeant;

5) Quid de supervientia beneficiorum ecclesiasticorum, ratione habita situationis in singulis regionibus, statui possit in novo Codice, v. gr. de iuribus quaesitis, de conventionibus cum statibus etc.».

Rogantur Consultores ut tales quaestiones perpendant ac votum una cum canonibus de illis quaestionibus exarare velint.

Perpendendum praeterea erit num in librum *Ius patrimoniale Ecclesiae* transferendi sint canones qui in variis partibus CIC de bonis ecclesiasticis agunt, ita ut in tali libro, tamquam in propria sede, omne ius patrimoniale Ecclesiae contineatur. Consequenter niscus fiat organizationis totius materiae.

APPENDIX
SCHEMA CANONUM

Can. 1523 bis

Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est administratoribus bonorum ecclesiasticorum de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christianae caritatis facere.

Can. 1536

§ 1. Nisi contrarium probetur fidelium oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae moralis ecclesiasticae eorumve adiutoribus factae, praesumuntur ipsi personae morali factae.

§ 2. Oblationes de quibus in § 1 repudiari nequeunt sine licentia Ordinarii.

Can. 1540

Nisi res sit minimi momenti, bona ecclesiae propriis administratoribus eorumve coniunctis in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu non sunt vendenda aut locanda sine speciali competentis superioris licentia scripto data.

Can. 1541

§ 1. In locatione bonorum ecclesiasticorum servantur leges civiles.

§ 2. Firmo praescripto § 1, Conferentiae Episcoporum est, attentis locorum adiunctis, normas statuere de bonis ecclesiasticis locandis, praesertim de licentia a competenti auctoritate ecclesiastica obtinenda.

Can. 1543

Si res fungibilis ita alicui detur ut eius fiat et postea tantundem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest; sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro maiore, si iustus ac proportionatus titulus suffragetur.⁴

⁴ Circa hunc canonem Consultores crediderunt non esse hic locus aptus. Quod si superiori instantiae videatur canonem esse servandum, locus aptior inveniendus erit.